

DISPUTATIO THEOLOGICA,

DE

ÆTERNA FIDELIUM

AD SALUTEM ÆTERNAM

PRÆDESTINATIONE

ET

OPPOSITA ILLI INCREDULORUM

REPROBATIONE,

Quam

FAVENTE DEO O. M.

Volente

SUMME REVERENDO IN CHRISTO PATRE,

*AMPLISSIMO DOCTISSIMO QUE DOMINO,***D.^N M. NICOLAO BERGIO,**

Superintendente Narvensi & Ingriæ fidelissimo,

Regiique Consistorii Præside spectatissimo,

Designato itidem, Generale per Livoniam Superintendente

dignissimo, nec non Pernaviensis Academix Pro-Cancellario

Eminentissimo,

*In SYNODO d. 20. 21. 22. Februarii 1702. habenda**placide ventilationi submittit***HENRICUS BRÜNINGK,**

Ecclesiæ TEUTONICÆ, quæ NARVÆ in Patriâ urbe DEO

colligitur Pastor, & Consistorii Assessor,

R E S P O N D E N T I B U S

Reverendis Doctissimisq. Viris:

DN. EDUARDO NYBECK, Past. in Jerwifari,

DN. JOHANNÉ MELARTOPÆO, Comministro Caporiensi.

NARVÆ, Literis JOH. KÖHLERI, REG. TYPOGR.

S^{♦æ} R^{♦æ} M^{♦tis} S^{♦æ}

SUMMÆ FIDEI VIRO,
SENATORI REGIO
INTIMO,
CONSILIARIO STATUS

&
CANCELLARIÆ;

ILLUSTRISSIMO atq; EXCELLENTISSIMO

COMITI:

DN: CAROLO
PIPER,

DOMINO SUO GRATIOSISSIMO,

FELICITATEM ET ANNOS!

CELISSIME COMES,

DOMINE BENIGNISSIME!



Ereor , ne apertè apud omnes imprudens audiam , quod gravissima ILLUSTRISSIMÆ TUÆ EXCELLENTIÆ negotia , exiguâ hâc Disfertatiunculâ interpellare , eandemq; CELSISSIMO TUO NOMINI inscribere , non sum veritus. Cum enim SERENISSIMUS NOSTER REX, TE COMES ILLUSTRISSIME , velut dextellam Suam , in gloriosissimorum Suorum bellorum pariter ac victoriarum Societatem delegerit , & prudentissimis TUIS consiliis SE permittat , tot demum tantæq; Salutis publicæ curæ,
ILLU-


ILLUSTRISSIMAM TUAM EXCELLENTIAM, toto die versant, & fatigant, ut nefas sit, saltim momento alienis TIBI obstreperere. Ignosce proin CELSISSIME COMES temeritatem, quâ intempestivas hæc pagellas, altissimis TUIS curis objicere, easq; TIBI, quem omnes venerantur, in solenni supplicum concursu, iteratâ veneratione submittere, sum conatus. Nimia quippe gratiæ TUÆ fiducia, formidolosâ quascunq; & incertas damnavit cogitationes, nec parvam Spem insinuat, fore ut sacras hæc pagellas, TUUM ambientes favorem, gratioso, qui TIBI proprius est, nutu, sis excepturus. In castris quidem jam degis, & inter bellicos tumultus armorumq; strepitus versaris; ast cum victricibus SVECORUM castris apprimè cum sacris conveniat, & quæ ex aliis, nefando proh! crimine proscripita, in nostris sanctè colatur pietas, ea imprimis ILLUSTRISSIMÆ TUÆ EXCELLENTIÆ erga Supremum Numen reverentia, is in Sacris quoq; castrensibus ardor, ut tacito mecum gaudio repetens, quibus in delitiis Sacra apud TE sint oracula, & quantâ eadem devotione notes & observes, Dissertatiunculam hancce Synodalem, de arduo, & tam propter argumenti dignitatem, quàm controversiarum circa illum multitudinem difficillimum Religionis nostræ articulum, TIBI, cui religione nihil prius, ex veteri formulâ dare, dicare & consecrare non dubitârim. Adderem insuper, me immortalibus ILLUSTRISSIMÆ TUÆ EXCELLENTIÆ in tenuitatem meam beneficiis, quibus honores & quicquid per eos homines habent, debeo, hâc viâ publicum aliquod gratitudinis documentum intendisse, nisi hæc cogitantem, pagellarum levitas tanto MECOENATE indigna, justo rubore suffunderet. Sed cum Diis olim suis, non tam exiguam

facultatem, quàm promptam intuentibus voluntatem, gentes thura non habentes, falsam litarint molam, munusculo huic levidensi humillimas præmitto preces, velit **ILLUSTRISSIMA TUA EXCELLENTIA**, mente magis offerentis quàm oblatis pondere pensitato, eâ quâ soles benignitate, hoc quaecunq; æqui bonique consulere, & quod votorum meorum summa, humillimum **TUUM** clientem, gratiosissimo **TUO** favori, ulterius habere commendatum. **DEUS TE** servet **MAGNE SVECIE CYNEAS**, tardumq; jubeat esse diem, qui **TE** in publicam natum salutem, ad destinata meritis **TUIS** præmia reposcet.

ILLUSTRISSIMÆ EXCELLENTIÆ TUÆ

servus humillimus

HENRICUS BRÜNINGK.



LECTORI,


FAUSTA OMNIA!



Articulum Ecclesiæ nostræ Orthodoxæ, de æternâ fidelium ad salutem æternam prædestinatione, & oppositâ illi incredulorum reprobatione, in annuâ plurimum Reverendorum Ingridiæ antistitum Synodo ventilandum, sequentibus paginis Theticè & Polemicè expositum tibi trado. Miraberis procul dubio & incusabis, ea quæ circa hunc ipsum dici & moveri solent, tersius & prolixius non esse discussa; Veniam autem, ut spero, dabis, si pro facilitate tuâ benevolè Tibi libuerit perpendere, quâ sorte ad hæc conscribenda & publicè defendenda pervenerim. Demandatis quippe sibi, in modo memoratâ Synodo Præsidii partibus, spectabile aliquod ministerii nostri membrum, Ingridensium Præpositus dignissimus, propter obstinatum oculorum morbum renuntiaverat, cum eâ tempestate nemini obtrudi possent, ibatur ad me, & à Summe Reverendo Domino nostro Præsule, eâ ipsâ Septimanâ, quæ Salvatoris nostri natalitiis est sacra, impone-

imponerentur. Initio quidem tenuitatis meæ mihi benè conscius, sacrisque circa illud tempus laboribus affatim distentus, declinabam arduam illam spartam, inque veteranum aliquem & validiores humeros conferri, optabam. Cum autem Summè Reverendus Dominus Præful, benevolum suum urgeret jussum, nec sine inobedientiæ notâ refragari mihi liceret, vicère tandem suavissimæ illius persuasiones, & amicâ vi ad hæc conscribenda, atque tuenda tantum non coëgere. Si proinde quædam omissa, quædam autem minus perpolitata & exasciata hic deprehenderis, ad æquitatem Tuam, mi lector provoco, utque ea, aliquâ ex parte temporis angustia, quod laboribus ordinariis suffurari me oportuit, tribuas, favorem autem tuum sartum mihi tectumque serves, enixè contendo. Aliâ vice, si tempus ita tulerit, majorem per DEI gratiam curam, semper autem officia Tibi paratissima spondeo.





J. N. J.

CAPUT PRIMUM.

ANALYTICO-THE- TICUM.

§. I.



Datur *Prædestinatio* certorum quorundam hominum ad vitam æternam; h. e. tale decretum, quo DEUS certos nominatim homines, ab æterno ad salutem ordinavit, & salvare constituit; Et hoc decretum in Sacris literis vocatur: *Electio* sive *Prædestinatio*. vid: *D. Christiani Kortholti Theses Theol. Diss. 7. p. 14.*

§. II. Vocatur *Electio*, Græcè ἐκλογή, ἁπὸ τῆς ἐκλέγεσθαι eligere, segregare, estq; partium quarundam, ex integro cœtu, separatio. vid: *D. Kromayeri Theol. Pos. Polem. art. 6. p. 275. b.*

§. III. Ufurpatur vocabulum hocce in sacris, modo *generaliter*, pro segregatione ad certum aliquem finem sive usum, utpote, (1) ad munus vel officium aliquod, quâ ratione Apostoli dicuntur ἐκλεκτοὶ *Luc. VI, 13.* scil. ad Apostolatatum. (2) Gentis alicujus in populum, cui DEUS mysteria verbi & voluntatis suæ communicat. *Deut. IV, 37.* modo *specialiter* pro Electione ad vitam æternam *Eph. I, 4. s.* videantur *D. Hunnius in loco de prædestinatione & D. Gerhardus T. 2. L. C. de Elect. & Reprob. p. 179. seq.*

A

§. IV.

§. IV. Vocatur etiam *Prædestinatio*: *Rom. VIII, 30. Eph. I, 5.* Græce *προορισμός*, à *προορίζω*, quod significat ad certum finem destinare atque ordinare, nempe hîc ad vitam & salutem æternam, ita tamen ut simul media, ad finem deducenda, constituentur. *D. Carpozovii Isagoge in libb. Symbol. p. 1613.*

§. V. *Prædestinatio* autem & *Electio* stylo Scripturæ non differunt, nisi rationis distinctione, ob diversa scilicet connotata, quæ diversus significandi modus innuit. vid: *Kortbolt. l. c. & Job. Musæi Diss. Inaugural: de decreto prædest: C. 1. §. 11.*

§. VI. Synonymum hîc est: *Inscriptio in librum vitæ. Exod. XXXII, 32. Phil. IV, 3. Apoc. XVII, 8:* Sic dicta, per *ἀνθρωποπάθειαν* aut *συγκριτάβασιν* quandam, secundum similitudinem actus humani, quo certarum personarum nomina, catalogo civium, militum &c. adscribuntur, jura privilegia & commoda Sociorum consecuturi. Quod ad rem, dicta in librum vitæ inscriptio, nihil aliud est, quàm cum quis illis, qui æternum salvantur, annumeratur. vid: *Flacii Clavis Scripturæ p. 567. seqq. Tarnovii Decas Quaestionum ex loco de Prædest. §. 17. Carpozovii Isagoge in libb. Symbol. p. 1616. seqq.*

§. VII. Diximus §. I. Electionem esse *Decretum*: Ita enim appellatur, *Eph. I, 9. & 11. Rom. VIII, 29.*

§. VIII. Decreta autem DEi ab æterno facta, & postea in verbo revelata, de causis & modo salvandi, alii numerant 9. alii 10. nos cum magno illo *Chemnitio P. 1. Exam: Conc: Trid: loco de fide justif. p. 311.* è multis quatuor saltem, ad declarationem Theos nostræ vel maximè facientia, adducemus: Primum decretum DEi est, de redimendo genere humano, per obedientiam & Passionem CHRISTI Mediatoris, 2. de vocandis per ministerium verbi, tam Judæis quàm gentibus, ad communionem meriti Christi,
ad fa-

ad salutem 3. Decretum est, quod Spiritu suo: velit, per auditum verbi, in cordibus hominum operari, ut agant pœnitentiam, & credant Evangelio, 4. Decretum est, quod illos, qui cum sentiunt peccata sua & iram DEI, fide confugiunt ad thronum gratiæ, & CHRISTUM mediatorem, in promissione Evangelii propositum, amplectuntur, velit justificare & salvare, abjicientes verò verbum, adspernantes & non amplectentes promissionem, velit damnare.

§. IX. Liquet exin decretum Electionis esse decretum *voluntatis* divinæ *consequentis*. In eo enim homines considerantur, non in quantum credere debeant, sed quatenus actu credunt, quod quia non omnes faciunt, idq̄ DEUS ab æterno pro comperto habuit & explorato, ideo non omnes homines elegit ad salutem, non quod plures eligere & salvare noluerit *1. Tim. II, 4. 2. Petr. III, 9.* sed quod non plures per verbum illuminatum, & ad veritatis agnitionem deductum iri cognovit. vid: *Scherzerum Breviario Theol. Hülfemann. enucleato p. 437.*

§. X. Cum mentionem fecerimus voluntatis DEI consequentis, operæ erit pretium, brevibus indicare, quid sit voluntas DEI *antecedens* quidq̄ *consequens*. Est quidem voluntas DEI, ratione essentiæ absolutè in se considerata simplicissima, nulloq̄ modo dividua, sed docendi causâ veteres distinxere inter voluntatem DEI antecedentem & consequentem. In *antecedente* voluntate salus & media salutis considerantur, quatenus à DEO sunt ordinata & constituta, omnibusque hominibus ex æquo offeruntur. In *consequente* vero, quatenus hæc jam actu ab hominibus acceptantur, & sic vel actu salutem, mediante fide consequuntur, vel actu, propter incredulitatem, æternæ damnationi adjudicantur. vid: *Menzeri Exegesim art. 7. A. C. p. 181.*

§. XI. Hæ autem duæ voluntates, sibi invicem non sunt contradictoriè oppositæ, sed ὑποτακτικῶς subordinatæ. Illâ namq̄ DEUS omnes homines vult salvari, non quidem absolutè, sed determinatè & conditionatè, per fidem nimirum, vel si in CHRISTUM sint credituri. Hæc, qui obtemperant, hæredes fiunt salutis æternæ; qui verò resistunt, mediâq̄ à DEO ordinata spernunt & contemnunt, æternæ damnationi, per justum voluntatis DEI consequentis consilium & decretum, adjudicantur. vid. *Danbauerus in Hodosophiâ & Hodomoriâ Calvin. loco de prædest.*

§. XII. Juxta decretum illud divinum Electio facta *Eph. I, 5. 9. 11. Rom. VIII, 28. 29.* quæ Phrasis Apostolica probè observanda. Nam particula illa *juxta* vel *secundum, formalem causam*, & rationem electionis illius æternæ designat, ut rectè dicere possim: DEUS *secundum* propositum, vel decretum suum æternum, *formaliter* elegit, decrevit, & constituit, in fide ad finem usq̄ perseverantes, salvare. *Scherzerus Breviario Theol. Hülfemann: enucl. §. 13. p. 1026. seq.*

§. XIII. *Forma* quippe totius decreti in συνδρομῇ προθέσεως, προγνώσεως, & προορισμῶν consistit *Rom. VIII, 28. seq.* Πρόθεσις five propositum divinum, quo ab æterno voluit omnes fieri salvos, quicumque in CHRISTUM essent credituri, *Majorem* Propositionem, in Syllogismo prædestinatorio, constituit. *Minorem* format προγνώσις, seu præscientia divina, quâ ab æterno prævidit, quinam secundum individua, essent in tempore, finaliter in CHRISTUM credituri. Unde sequitur *conclusio*, quæ continet προορισμὸν seu ipsam electionem formaliter, quâ nimirum actu statuit: hic, ille, iste, in tempore fit salvus, est electus seu prædestinatus. vid: *Joh. Adami Scherzeri Systema Theol. p. 518. & 519.* è quo hæc decerpimus.

§. XIV. Hoc vero DEI decretum ab æterno in CHRISTO dispositum, & in tempore per verbum Evangelii

geli nobis revelatum, de hominibus per fidem in CHRISTUM salvandis, comprehendit totum ordinem salutis nostræ, nimirum omnia, quæ DEUS ordinavit ad nos salvandum. vid: *D. Menzeri Exegeſin A. C. p. 180.* item *Diſput: Gieſenſium Tom. I. Diſput: 14. §. 78. 79.*

§. XV. Cauſa Electionis noſtræ *πρώτη* ſeu *Principalis* eſt DEUS O. M. *Eph. I, 11.* Non autem vocabulum DEUS hoc loco *ἑωσπερὶ τριῶν* pro unâ duntaxat Trinitatis perſonâ, ſed *ἑσποδῶς* pro divinâ eſſentiâ tribus perſonis definitâ, ſumitur.

§. XVI. Tribuitur quidem Electio, ut plurimum, DEO Patri in Sacris literis, *Eph: I, 3. 4.* quia ipſe eſt fons & origo, ut Deitatis, ita etiam omnis divinæ actionis. Id tamen non *excluſivè* ſed *incluſivè* intelligendum, ita ut Filius & Spiritus Sanctus, ob eſſentiæ & voluntatis divinæ unitatem non, excludantur ſed includantur. *D. Chriſt: Matthiæ in Syſt. Theol. p. 161.*

§. XVII. Cauſa electionis noſtræ *interna, eſt ſola DEI gratia & miſericordia, 1. Tim: II, 4.* cui opponitur omnis actio hominis, ſive per gratiam DEi, ſeu viribus naturæ facta; quæ aliàs excluditur à juſtificatione; etiam fides ipſa excluditur, ſi ſpectatur, non ut instrumentum, ſed tanquam conditio magis vel minus digna, ſive per ſe, ſive ex æſtimio voluntario, i. e. per voluntatem, DEi fidei liberè ſuperaddito. vid: *Scherzeri Breviarium Theologicum, Hüſſemanni p. 1015.* adde *B. Hunnium loco de Prædeſt. p. 269.*

§. XVIII. Hanc vero gratiam & miſericordiam divinam quæ non absoluta, ſed ad CHRISTUM relata, meritoque illius determinata eſt, ratione intentionis & oblationis univerſalem eſſe, probat (1) Univerſalis DEI voluntas, quâ totius generis humani ſalutem ferio & arden- ter expetit & deſiderat, *Ezech: XXXIII, 11. 1. Tim: II, 4. 2. Pet: III, 9.* (2) Univerſale & infinitum CHRISTI meritum,

Eſai: LIII, 6. Job: I, 29. 1. Tim: II, 6. (3) Universalis ad cœlestium bonorum communionem & participationem invitatio. *Matth. XI, 28. Cap. XXVIII, 19. Marc. XVI, 15. Act. XVII, 30. 31.*

§. XIX. *Causa externa impulsiva & meritoria* est CHRISTUS. Nisi enim CHRISTUS merito & passione suâ DEUM nobis reconciliaſſet, DEUS nos eligere non potuiſſet, quia elegiſſet nos iratus, non placatus, quorum tamen prius cum Scripturâ pugnat. *Eph. II, 16. Col. I, 12, 13, 14.* adde convenientiam decreti cum suâ executione, sive conformitatem causarum Electionis & Justificationis. Propter quem enim in tempore justificamur, propter eundem etiam ab æterno sumus electi; at propter CHRISTUM in tempore justificamur, *Rom. III, 14. Gal. II, 16.* E. vide *D. Laurelii Syntag: Theol: de universali Salvatoris nostri merito p. 207.*

§. XX. Dupliciter autem CHRISTUS in Electione consideratur (1) *ratione essentia*, quatenus est unus & verus DEUS, cum Patre & Spiritu Sancto. Et sic ad misericordiam motus est in seipſo, per sanguinem suum, atq; unâ indivisâ actione, cum Patre suo & Spiritu Sancto, nos elegit ad vitam æternam *Job: XIII, 18.* (2) *ratione officii* quod in se suscepit & perfecit ut *θεράπων*, quatenus est constitutus Redemptor generis humani, & mediator DEI & hominum; Et sic misericordiam DEI nobis impetravit, pacem faciendo per sanguinem crucis suæ. *2. Cor. V, 19.* Unde non solum ab ipſo, sed etiam in ipſo, per ipsum & propter ipsum electi dicimur *Eph. I, 4-12.*

§. XXI. Quamvis verò meritum Salvatoris nostri, *ratione acquisitionis sit universale*, & pro omnibus universorum hominum peccatis, eorumq; pœnis, cum temporalibus tum æternis, sufficientissimum: ratione tamen *applicationis, sit particulare*, quandoquidem maxima pars hominum, incredulitate suâ illud rejicit, & reatum æternæ damnationis suâ sibi culpâ attrahit. vid: *Müllerus de absoluto decreto p. 126.*

§. XXII.

§. XXII. *Causa Electionis nostræ Instrumentalis ex parte DEI, sunt verbum & Sacramenta.* 1. Cor. I, 21. Rom. I, 16. Marc. XVI, 16. In verbo, & per verbum, DEUS nobis offert & donat, omnia ad salutem necessaria, & per illud, tanquam ordinarium & efficax medium, mediante Spiritu Sancto, fidem in nobis operatur & perficit. Verbo suo DEUS Sacramenta appendit, tanquam invisibilis gratiæ visibilia signa, non purè *σημαντικά* ut in V. T., sed & *μετέδοτικά*. Conf: *Meisneri Philos. Sobr. Sect. I. p. 158.*

§. XXIII. *Ex parte nostri, causa instrumentalis est: Fides.* 2. Thess. II, 13. Ephes. I, 13. Jacob. II, 5. Non quod DEUS, eâ tanquam instrumento Physico utatur, ad eliciendum Electionis actum, sed quod meritum CHRISTI apprehendat, DEUSQUE ad nostri Electionem moraliter moveat, non suâ dignitate, merito, aut conditione, sed dignitate meriti CHRISTI, quod in eâ per modum objecti connotatur & includitur. Vid: *Job: Musæi Dissert. inaugural: de aeterno prædestinat: decreto Cap. 3. §. 45.*

§. XXIV. Intelligitur autem fides, considerata, non ratione actualis existentia, sed divinæ præscientiæ, non temporalis, sed finalis; quæ tamen perseverantia finalis, non ex actu continuo, sed ex ultimo vitæ termino consideratur. Conf: *Scherzeri Breviarium Hülfemann: p. 1025.*

§. XXV. Ex hisce dilucidè patescit, fidem electionis causam Organicam perhiberi, non nisi respectu meriti CHRISTI, & gratiæ DEI, propter illud nobis promissæ, quod utrumque fides, ut instrumentum *ληπτικόν*, extra se quasi egrediens, amplectitur & apprehendit. Non ergo ex fide facimus meritum Electionis, ut Pelagiani, sed medium & partem ordinis, quam DEUS in Electione respexit, quia intuetur & apprehendit eum, in quo facta est Electio; Unde etiam non *propter*, sed *per* fidem electi dicimur.

§. XXVI.

§. XXVI. Hinc sequitur, quod fides ab Electione pendeat, non quidem ut effectus à suâ causâ, sed ut determinatio à determinato, quia Electio fidem non efficit, sed invenit, & ut partem ordinis includit. Nam quos DEUS credituros vidit in tempore, eos ab omni æternitate in CHRISTO elegit; Vicissim Electio non pendet à fide, tanquam effectus à causâ impulsivâ & meritoriâ, sed tantum ratione intuitus ad CHRISTUM, veram electionis causam meritoriam, quæ tamen absque fide in decreto Electionis nunquam consideratur. Non enim in CHRISTO simpliciter electi sumus, sed in CHRISTO fide apprehenso. *Balduinus Super. Epist. ad Tit. C. 1. P. I. p. 17.*

§. XXVII. *Objectum* Electionis sunt homines peccatores, non omnes promiscuè, quoquomodo sese habentes, sed virtute Spiritus Sancti, per Evangelii prædicationem, perseveranter in CHRISTUM credentes. *D. Menzeri Exegef. Aug. Conf. l. c. p. 185.*

§. XXVIII. *Finis electionis* nostræ respectu DEI, est misericordiæ & gloriæ divinæ manifestatio, *Eph. I, 6.* DEUS enim in electione nostri immensam suam misericordiam & gloriam evidenter declaravit, dum nos homines peccato gravatos, æternæque damnationi obnoxios, per & propter CHRISTUM filium suum, in filios suos adoptavit, ita ut filii DEI vocemur & simus. *1. Job. III, 1.*

§. XXIX. *Finis* electionis respectu nostri est *intermedius* vel *ultimus*. *Finis* electionis *intermedius* seu *communis*, est sanctificatio in regno gratiæ. *Eph. I, 4.* *Finis ultimus* sive *proprius*, est glorificatio in regno gloriæ. *Rom. VIII, 30. 2. Theff. II, 13.*

§. XXX. Ex hisce, quæ hætenus disputavimus, talis fuit Electionis definitio: *Electio* sive *prædestinatio*, est decretum voluntatis divinæ consequentis, juxta quod, ex merâ gratiâ & misericordiâ, in CHRISTO, homines virtute Spi-

Spiritus Sancti, per Evangelii prædicationem, perseveranter in CHRISTUM credentes, juxta *πρὸς ῥωμ. 11*, ante jacta mundi fundamenta, ad vitam æternam ordinavit, in laudem gloriøsæ gratiæ suæ, hominumq; salutem.

§. XXXI. *Prædestinationi*, opponitur *Reprobatio* seu ille *Divina voluntatis actus*, quo DEUS ab æterno justâ adversus præfractos peccatores irâ incitatus, damnare, pœnisq; sempiternis afficere constituit, quotquot in impœnitentiâ & incredulitate decessuros prævidit.

§. XXXII. Uti enim *Prædestinatio* absoluta non est, ita nec *Reprobatio*. Sed quemadmodum illius causâ impulsiva est fides prævisâ, sic hujus prævisâ incredulitas; Idq; non solum si absolutè quærat, cur aliquos homines DEUS damnare ab æterno decreverit, sed & si quærat comparatè, cur decreverit hos potius damnare quàm illos. vid. *Kortbolti Theses citatas*.

CAPUT SECUNDUM.

ΕΤΖΗΤΙΚΟ-ΠΟΛΕΜΙΚΟΝ.

Quæstio I.

Queritur: Num Prædestinatio sit genus, in respectu ad Electionem & Reprobationem?

§. I.

Prædestinatio duas habet species: *Electionem* & *Reprobationem*, inquit *Piscator Vol. 1. Dissp. loc. 19. thes. 9. Bucanus in Institut. p. 416. 422. Beza in questionibus Vol. 1. fol. 683. Prædestinationis partes sunt Electio & Reprobatio Ursinus Explicat: Cateches. p. 407. Zanchius in fide & confess. p. 80.*

§. II. Nos Electionem & Prædestinationem SYNONIMA docemus esse GRAMMATICA, innitentes dicto Pauli Rom. VIII, 30. quos prædestinavit, hos glorificavit: Unde facilis est collectio. Qui non glorifi-

cantur neque sunt prædestinati, sed reprobī non glorificantur. Ergo. Quia præterea Scriptura S. nunquam in malam sed semper in bonam, nunquam de reprobis sed semper de electis vocabulum hocce accipit; Cumque Prædestinatio non solum sit finis sed etiam mediocris, sequeretur DEUM ad finalem quoque incredulitatem & impoenitentiam, quæ sunt damnationis causa proxima & adæquata, impios destinasse: Eo nomine multi, non solum ex antiquis Patribus, sed etiam nonnulli ex Calvinianorum castris, nominatim *Martyr in locis fol. 828. Keckermannus in Syst. Theol. p. 296.* Prædestinationis vocabulum male ad impios eorumque exitium rapi judicaverunt. vid. *Eckhardus fascicul. controv. Theol. p. 301. Quensædus Thef. 4. de Prædest.*

§. III. Contra sentientes urgent dictum Act. IV, 27. 28. Sequitur ex eo Herodem & Pilatum ad mortem CHRISTI patranda[m] fuisse prædestinatos. Sed dictum hoc ἀποσδιώσις allegatur ad probandam hanc quæstionem. Non enim in illa agitur de Pilati & Herodis ad æternam damnationem Prædestinatione, sed de directione permissi facinoris, quod Herodes & Pilatus in occidendo Christo patrarunt, ad finem à DEO præfixum, redemptionem scilicet totius humani generis. Nec bene, quod breviter monendum, redditur: Quæ manus & consilium Tuum prædestinavit ut *facerent sed feri.* vid. *Hülsemanni vindic. sacr. p. 693.*

Quæstio II.

Quæritur: An DEUS certa hominum individua prædestinavit ad salutem æternam?

§. IV. Sociniani, distinguentes inter decretum Prædestinationis & Prædestinationem ipsam contendunt, Decretum ab æterno factum esse, tantum in genere, de iis qui credunt, Deoq; obediunt, prædestinationem ipsam verò in tempore fieri de credentibus in individuo. Verba *Crellii & Schlichtingii Sectæ hujus antesignanorum legi possunt apud Franckium Exercit. Anti-Limborchianis p. 397. seqq.*

§. V. Primus hujus erroris fons est, quod divinam futurorum contingentium præscientiam inficiantur; Hanc autem negantes, negare etiam oportet decretum de servandis credentibus in individuo, à DEO

à DEO factum esse ab æterno , nisi fidem servandorum certorum individuorum , ex numero rerum contingentium eximere , & dicere velint: absolute loquendo fieri non posse, ut qui credunt non credant. Eandem cum Socinianis cantilenam , *Limborchius notissimus Arminianorum Doctor* , cantitat ut in *Theologia ejus Christiana paginis speciatim 312. - 739. seqq. liquido apparet.*

§. VI. Nos DEUM statuimus ab æterno fecisse decretum , servandi certa hominum individua , quotquot nimirum , finaliter in CHRISTUM creditura prævidit. Nam quos præcivit DEUS etiam prædestinavit Rom. VIII , 29. at certos homines in individuo præcivit DEUS E. & certos homines in individuo prædestinavit. Aliud argumentum pro nostrâ sententiâ petitur ex Apoc. XIII. v. 8. & XVII. v. 8. quibus in locis nomina fidelium ab æterno dicuntur in librum vitæ fuisse scripta. Nomina erga aliquorum scripta esse in libro vitæ, est: aliquos & quemlibet ex illis nominatim & in individuo scriptum esse in libro vitæ. Videatur de his fufius modò memoratus *Franckius Exercit: Anti-Limborch: Exercit. 8. C. I.*

Quæstio III.

Queritur : An DEUS ex absoluto decreto homines quosdam ad vitam æternam elegerit , sine intuitu fidei apprehendentis meritum CHRISTI ?

§. VII. Præter Pontificios & eorum Principes *Thomam Aquinat: Summâ Controvers. quæst. 23. Bellarminum lib. 2. de amiss: gratiæ & statu peccati Cap. 12. Tannerum Dissp. 3. nec non Labadistas de quibus consul: Nisani mat. col. Labadist: p. 297. seqq.* Calvinisquæ imprimis horrendum illud , de absoluto decreto, dogma, cor & Palladium Ecclesiæ suæ strenuè defendere satagunt. Hoc in Synodo nationali Dordracenâ autoritate publicâ statuminatum , in Synodo Alezianâ Gallica jurisjurandi religione firmatum , hodiènum etiam in Calvinianorum Scholis crepat, personat. Ex infinitis testimoniis, quæ apud *Gerhardum , Meisnerum , Quenstedium* &c. magno numero occurrunt, unum vel alterum allegasse sufficiat. In actis Synodi Dordracenæ, Hanoviæ Ao. 1620. in 4to editis hæc habentur verba pag. 342. Electio facta est non ex prævisâ fide , aut aliâ aliquâ bonâ qualitate

& dispositione, tanquam causa seu conditione in homine eligendo prærequisita, sed ad fidem, sanctitatem &c. Ac proinde Electio est fons omnis salutaris boni, unde fides, sanctitas & reliqua dona salvifica, ipsa denique vita æterna, ut fructus & effectus ejus profluunt. Pag. 531. Ecclesiæ Reformatæ docent: CHRISTUM esse electionis (non discernendæ sed exequendæ) medium & quidem *σεπερωματιον*, id est, primum ac præcipuum, cui reliqua omnia media, puta fides, justificatio sanctificatio ipsaque etiam salus innituntur, ita quidem, ut decretum de CHRISTO mittendo & in ignimiosam crucis mortem tradendo, ordine sit posterius decreto Electionis sive Electione: Ut insuper de mente privati cujusvis inter illos constet, ita *Maccovius Diss. de Prædest. Thef. 3.* Causa impulsiva Prædestinationis nulla est extra & præter beneplacitum DEI. Adde *Perkinsum in Explicat. Symboli.* Causa Prædestinationis est voluntas absolutissima, quæ nihil habet, vel extra, vel juxta, vel supra se quod possit esse causa impulsiva ad movendam vel flectendam istam. Et quid multa? Omnes unanimiter docent, tam Electionem quàm Reprobationem soli absolutæ voluntati & beneplacito divino adscribendam esse.

§. VIII. Nostræ Ecclesiæ docent, Electionem ad vitam æternam non esse absolutam, sed in CHRISTO mediatore fundatam, eosque omnes DEUM elegisse quos prævidit, meritum CHRISTI fide apprehensum sibi applicaturos, & in eâ fide, ad finem usq; vitæ, perseveraturos. Hoc enim *D. Paulus* in terminis asserit, *2. Theff. II, 13. Elegit vos DEUS*, inquit, *ab initio, ad salutem, per fidem veritatis. & Eph. I, 4. Elegit nos DEUS in CHRISTO, antequam jacerentur fundamenta mundi. Qui ergo electi sunt in Christo*, illi non electi sunt absolutè. At affirmante Apostolo, omnes & singuli, quotquot sunt electi, *in Christo*, vel *per & propter Christum* sunt electi; nam ad occurrendum præposteris adversariorum, in hunc locum, explicationibus, notandum particulam *in*, quæ in textu habetur authentico, respondere, Hebraico *ב*, & ut sæpius, ita & hoc loco, per usitatum Hebraïsmum, notare causam meritoriam, Latinèque reddi, *Propter*, vid. *Glusii Philol. Sacra p. 662.* ut *in CHRISTO* eligi, idem sit, ac *per & propter CHRISTUM* eligi. Nec est quod clamitent, meritum Salvatoris in tempore demum fuisse præstitum, quomodo ab æterno

in.

in electionis decreto , ejus potuerit haberi ratio ? Ad causam meritoriam enim non semper requiritur, ut tum existat, cum id , cujus respectu causa meritoria vocatur, existit, sufficit si causa efficiens , quæ intuitu meritoriae causæ agit, meritum aliquando futurum esse prævideat, vel præveriderit ; quod convenienti aliquo exemplo à *Daniele Stablio illustratum Musæus allegat Dissert. suâ inaugurali de Prædest. §. 46.*

§. IX. Præcipua S. Scripturæ dicta , quibus atram & horridam suam sententiam adversarii illinere laborant , sunt : *Actor. XIII. v. 48.* Crediderunt quotquot erant ordinati ad vitam æternam. *Job. XII. 39. 40.* Non poterant credere , quia dixit Esaias. Excæcavit oculos eorum &c. *1. Pet. II, 8.* offendunt ad sermonem, immorigeri, ad quod etiam positi fuerant , & *Cap. IX. Epist. ad Romanos* ; ad singula brevissimis respondebimus. Quod attinet dictum *Actor. XIII, 48* ; Aliud est absolute & cum exclusione ordinis salutis & mediorum fataliter esse præordinatum , ut necessariò quis credat, & vi decreti æterni flectatur irresistibiliter , aliud verò ordinatum esse , & in ordine divinitus instituto inveniri ; ordo salutis requirit, ut verbo, per quod Spiritus Sanctus intellectum gratiosè illuminando, repugnantiam tollere intendit, quis attendat, oblatam gratiam cum gaudio accipiat, & promissionibus verbi credat. Tales erant gentes quorum in allegato loco fit mentio. vid. *Carpz. Isag. in libb. Symb. p. 1671. seqq.* Ad dictum *Job. XII.* notandum, rem in se contingentem v. g. credere vel non credere nequaquam simpliciter impossibilem aut immutabilem, sed solum ratione eventus certò præciti & prædicti infallibilem esse. Judæi non poterant credere, quia Esaias prædixerat eos non esse credituros, quæ est impossibilitas eventus , non impossibilitas qualitatis existentis , aut quæ existere non possit in causis secundis, quod ex illo *Rom. VIII, 13.* manifestum est, quæ dehortatio illusoria esset , si vivere secundum carnem plane esset impossibile electis. vid. *Hülsemanni Vind. Sacr: p. 452.* Neq; dictum *Petri 1. Epist. c. II, 8.* probat certos quosdam homines ad incredulitatem esse conditos ; ut *Beza* cum *Calvino* suo pro *lò positum, conditum* esse perversè substituit. Nam positio ejusque existentia non necessariò insert positionem divinam, sed indeterminatè enunciata, vel divinam vel humanam , ex contextu eliciendam positionem innuit. Et licet *lò positum* esse sumatur pro positione vel destinatione DEI, quâ destinat

aliquos ad infidelitatem sive ad non obediendum Evangelio, exinde tamen neutiquam sequitur; illud destinationis vel reprobationis decretum esse absolutum & independens, à prævisione ullius motus mali & voluntarii, in homine, quod propriè inter nos & Calvinianos quæritur. Et in Textu quidem causa hujus decreti vel positionis evidentissima præmittitur, nempe offensio ad prædicationem verbi ex qua sequitur *ἀπιστία* sive *incredulitas*. Quamvis enim homo naturaliter offendatur verbo, & verbum homini sit stultitia, *1. Cor. II, 14.* præter naturalem tamen repugnantiam & offensionem, quam per prævenientem DEI gratiam, quæ omnem verbi prædicationem comitatur, potest omittere, datur proëretica, quæ naturali novum superaddit reatum, ob quem DEUS statuit aliquibus auditoribus fidem non dare, & hoc statutum vocatur positus ad incredulitatem, non absoluta, sed ordine à præcedente hominis malitia dependens. vid. omnino *Frantzii interpret: Sacra Script. p. 119.* Ultimo loco de *Cap. IX. Epist. ad Romanos* monemus, ex professo in Capite illo non agi de electione vel reprobatione, sed justificatione. vid: *Calovii Syntagma locorum Anti-Syncretisticorum, Holmiæ recusum Ao. 1698.* Summa enim Apostolicæ Disputationis in hoc capite hæc est: Constans DEI propositum esse, non eos, qui ex lege justitiam quærent, sed qui Evangelicis promissionibus credunt, justificare, adoptare & salvare. Sed decretum absolutum & gratuitum, gratia & gloria, rejectio temporalis & æterna, rejectio absoluta & ob incredulitatem facta, toto cœlo differunt. Quo posito cadunt omnia illa, quæ ex verborum Apostolicorum depravatione tantopere urgent adversarii, imprimis verba illa v. 16. *non est volentis neq; currentis sed DEI miserentis*; Hæc enim gratiam DEI gratiosam, non verò decretum innunt absolutum, voluntatem respiciunt, non consequentem sed antecedentem, non excludunt fidem, seu credere, sed currere, sive legem & ejus opera: vid: iudicium & expositionem super integrum *Cap. IX. Epist. ad Romanos. Hülsmanni Vindic. Sacr. p. 160. 161. 162. Carpzovii Isagoge in libb: Symbol. p. 1676. Musæi Dissertat. sæpius citatâ §. 120. & 121. Frantzii Tractatu de interpretatione S. Scriptura p. 341. - 385.* Exemplum Jacobi juxta vers. 11. & 13. capitj hujus memorati, dilecti, Esavi verò odio habiti, ad probandum absolutum suum decretum ab adversarijs translatum, solidissime

sime vide explosum à *Reverendissimo nostro Archi-Episcopo Domino D. Benzelio in vitis Patriarcharum, Exercitatione in vitam Jacobi secundâ p. 96. 97.*

Quæstio IV.

Queritur: An Ecclesiæ Reformatæ, sic dictæ, & hodie viginti absolutum decretum possit tribui?

§. X. Magna modernorum in hoc negotio moderatio, magna orthodoxiæ species, quâ capti nonnulli & fascino, pacem & concordiam mutuan, infausto tamen hætenus omine, jactitarunt & sollicitarunt.

§. XI. Hoc enim imprimis nos semper malè habuit, quod non satis candidè nobiscum agant in hæc causâ, sed contentos duriores & exitiosos sociorum suorum errores commodâ quomodocunq; explicatione emollivisse, Pyrrhonorum more omnia in suspensio relinquere. Edidit ante biennium *Gilbertus Episcopus Sarumienfis*, Anglico idiomate Expositionem in 39. Ecclesiæ modernæ Anglicanæ articulos; Is cum diu multumque in articulo de Prædestinatione, varias circa illam opiniones ventilasset, his tandem verbis finem illi imponit: I have not on this occasion declared my own opinion - - Since the Church has not been peremptory, but that a latitude has been left to different opinions. i.e. *Opinionem propriam hæc occasione declarare nolui - - Cum Ecclesia non tulerit sententiam peremptoriam, sed variis opinionibus latum campum reliquerit.* Sed hæc Sceptica docendi methodus cordatum minus decet Theologum, cui sententiam suam nullo modo incrustare, sed nigrum quod nigrum, & candidum quod est candidum rectâ cer vice vel in ipsum Penthei os dicere, est solenne.

§. XII. Quisquis igitur absolutum ex animo detestatur decretum, illi necessariò incumbit, ut verbis claris & perspicuis horrendum Calvinianorum & Synodi Dordracenæ dogma rejiciat & damnet.

Plura

Plura ob temporis & chartæ angustiam addere non licuit. Quæ autem â nobis prætermiffa , plenius & uberius exposita deprehendes , in Autoribus sparfim â nobis allegatis. Quibus omninô addendi ex indigenis: Dn. *Elvering*, S. S. Theol. Prof. postea Superintend: Reval. *Dissertat: de Prædestinatione*, edit: Dorpati 1654. *D. Edenius* S. S. Theol. Doct. & Profess. *de Prædestinatione hominis ad salutem*, Upsaliæ 1662. Dn. *D. Stigzelius* Theol. Profess. Prim: postea Sveciæ Archi-Episcopus, Upsal. 1655. Dominus *Leuchorvius*, S. S. Theol. Profess. Upsal. 1621. Dn. *Ericus Odhelius*, S. S. Theol. D. & Prof. *Dissertatione de tribus universalibus æterna hominum salutis causis: Dilectione, Redemptione & Vocatione absoluto Calvinistarum Decreto opposita*, Upl. 1653.

